QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. NOVEMBRIS,

M. IACOBO MANTEL Doctore Medico, Præside.

An diuturno capitis artuumve Tremori ab obstructione, Cauteria? 871

ARS pleraque omnis eò felicior est, quò vsus & experientia illius ad rectam rationem propius accedunt; extra quam conantibus apud nos quidpiam, malum quod illi merent & ægri nec meriti subeunt, semper expectandum: Adeò falsum est eum quem Rationalis industria non restituerit, temeritatem adiuuare: In ipsis quippe morbis nihil sibi vindicat illa prosperitatis, neq; Fortuna rerum inanis & Fabula. Vt minus iam mirum sit de frequenti morborum curationis infelicitate, cùm quiduis potius quàm Methodum habeant cordi non rarò vel Medicorum filij, alceæ puta radicem ex aquâ mulsa epotandam balnearesve Thermas, aut ex hyænâ litum Tremulis; atque aliis alia eiusmodi deliramenta inconsultè ac sine ratione præcipientes.

LVDICRA quis censeat Tremulos inquietari valetudine: dicamne miserâ? qui summam liberæ Mentis Arcem atque suos artus sponte vibrent ac inuitiùs: nequeunt enim sibi non facessere id negotij, neque votis coërcere quod in se maximè putes esse. Vident meliora probantque, deteriora sequuntur. Extollit partem vis alterna sine morâ delabentem, vt ἀκαταθείας monimentum salissatione quadam repræsentet ἀκαταλὴς illa. Ratio Tremoris est vnica: quo prehensis hoc vsque contingit, vt rem incompositam seruent compositè: aut si quando placidè quiescant; id tantùm fit vbi se componunt & resident. Ac vt familiares & quasi proprios quæuis Ætas habet morbos, eoque nomine securiores; sic & illum sæpius veluti postliminio reuertentem, suo sibi iure asserit Senectus.

TREMOR igitur est assidua & æqualis lucta inter Corpus & mouendi Facultatem, quæ vitiosis obsessa succis frustra tendit imperare, cùm assurgens vsque gemat sub pondere ac ei statim summittatur: Vti ducto contentionis fune perpetuo, Belloque nullis inducijs nedum pace interserto, vincat & vincatur. Affectus eiusce sociorumque membris musculosis plus quàm cuiquam infestorum causas expiscari labor est, vt & explicare. Omnium quis forsan humorum promiscuè obtrudet copiam iuxta cum imbecillitate virtutis: Sed ὅτι πάντα περὶ πάντων: nec crediderim vnquam infirmitatem istam in insitas ac vernaculas Animæ proprietates irruere posse. An præcipuum ferat in hoc punctum copiosus ichor, qui totâ tremente & infirma fusus parte crassescensque, spirituum quidem commeatum atque libertatem impediat, proritet etiam acritudine quadam, ac velut lacessendo irrequietum impellat ad opus?

VT riuus à fonte, foliorum humor à radice; sic Continens morbi causa manat ab Antecedente. Quale caput est, inquit ille, talis præstatur & sapor. Hinc Tremori obsistere satagenti, venis illam exhaurire atque fundum repurgare necesse est: tumque demum Cauterijs inio admotis ac humeris, imò etiam & tibijs, caput atque artus istâ subleuare. Est enim Cauterium vlcus quoddam vicem gerens emissarij canalisve, arte nostra excitatum à re comburente ad ichores educendos & vapores. Vti pateat in Tremore hoc Naturam flagitare, quæ imis videlicet sedibus corporis ad summa pulset illuuiem, vnde nempe duci possit ac facilè corriuari. Sic narium & palati; sic aurium ductus ope, caput multis impetitum atque fartum recrementis, non minimis opportunè, sed & propè similibus subducitur affectibus.

SAPIENS in hoc est Medicus, quod Naturam optimam ducem, tanquam Deum, insequitur, quæ industriâ planè mirabili, vlcera possessis altè suffusa medullis alicubi corporis admolitur, vt liceat reliquis securum viuere membris. Vnde colligas, quantùm arrideat ipsi hoc genus præsidij, quod tenues simul & crassos sensim sine sensu egerat humores. Quot insuper quæso, annumeres qui longùm à metâ mortis ad lucem, Fonticuli beneficio reuocantur? Vt magis iam confidam impeditos Tremoribus locos, causticis ex crebris, quibus quotidie virus omne expellatur, leuamentum habituros. Mundo non abs re collatus est Homo, cum in eo nihil penè (siue secundum id Naturam esse putes, siue præter ipsam) quod in isto non notetur. Quid autem terræ motui seu Tremori compescendo (alia mitto) frequentibus ad calorem vaporandum cuniculis, specubusque ac puteis ad eluuiem excauatis, quæ Pyroticorum partes agunt, Sapientiores inuenêre præsentius?

Ergo diuturno capitis artuumve Tremori ab obstructione, Cauteria.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS PERRAVLT Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gilbertus Puylon.
M. Victor Pallu.
M. Georgius Ioudouyn.

M. Hugo Chasles.
M. Nicolaus Heliot.
M. Ioannes Vacherot.

M. Carolus Bouuard, Primarius Regis Christianiss. Medicus.
M. Quirinus le Vignon.
M. Dionysius Guerin.

